

FREVENTISSIMAE AC PRAECIPVAE  
**OSCITATIONIS CAVS-**  
**SAE THEORIAM,**

SUB MODERAMINE

*Viri Amplissimi et Experientissimi*  
**HENRICI CALLISEN,**

*M. D. Professoris Anatomiae et Chirurgiae in Vniuersitate  
Regia, Classis Regiae Chirurgi primarii, Nosocomii et Legionis  
Nauticae secundae Iatri, Regiae Academiae Chirurgo-  
rum Parisinae, Societatis artium Londinensis,  
medicaeque Hafniensis Membri.*

11

**SOCIETATE EXERCITATO.**  
**RUA MEDICA**

D. XXI Octobr. MDCCCLXXV.

\* u. l. q. s.

ventilandam proponit

**MARCUS WÖLDIKE KALL.**

---

---

**HAFNIAE,**  
Litteris SIMMELKIAERIANIS.

FREQUENTISSIMAE AC PRAECIPVAE,  
OSCITATIONIS CAVSSAE  
THEORIA.

---

§. 1.

**Q**VVM nuper specimen in A. HALLERI de oscitationis causa sententiam inquirens ventilandum proponebam, admonuit Vir Celeberr. & Amplissimus, Praeceptor aeternum colendus, me quidem tantummodo sententiam HALLERIANAM impugnasse, haud vero eius loco aliam veriorem vel probabiliorerem adstruxisse. Quae igitur tunc desideratur, eam offerre nunc fert animus: Sententiam nempe dc praecipua, frequentissima ac primaria oscitationis causa, haud equidem primum a me excoigitatam \*), me vero iudice, illa HALLERIANA probabiliorem.

A 2

§. 2.

\*) Desumpta nempe est theoria haec e dissertatione inaug., Halae Magdeburg. anno 1749 habita, praefide D. ANDREA ELIA BÜCHNERO, respondentie JOANNE DAVIDE GLENNIEWSKI.

## 4. OSCITATIO RESPIRATORIA

§. 2.

PRAECIPVA ac frequentissima oscitationis cauſa est stagnatio sanguinis in venis adeuntibus musculos inspirationi inservientes & eos, qui maxillam inferiorem deducunt. Haec est assertio, cuius maiorem probabilitatem evincere opto.

§. 3.

VT causa quaedam pro praecipua oscitationis cauſa habeatur, necessario requiritur, vt omnia essentialia phaenomena (vt ita dicam,) quac in oscitatione simul deprehenduntur, ex ea rite explicari queant. Haec autem praecipue sunt: obtusus quidam in pectore & ore sensus; insignis inspiratio; vehemens maxillae inferioris a superiori deductio. Inquiramus itaque, num haec phaenomena ex nuper allata cauſa rite explicantur. Quac disquisitio ut eo melius instituatur, breuiter quaedam de partium sub oscitatione ad-

fectarum struētura in memoriam reuocare oportet.

5

DIAPHRAGMA venas accipit a cava, vena sine pari, &c. neruos ei porrigitur nervi colli, splanchnici, (intercostalium, propagines,) octauis paris plexus, & plures. Reliqui, qui inspirationem administrant, musculi venas habent a vena azygos, medianis intercostalibus; neruos ab intercostalibus & a pari vago. Musculi, qui in oscitatione ad inferioris maxillae deductionem adhibentur, venas a subclavia, medianis iugularibus; neruos, a tertio ramo pari quinti, ut & a nervis colli, &c. ob circunsparsas arterias & nervos. Amissum sunt superius §. 5. de respiratione sit ad SANGVINIS iustoridentiori per venam progressivo motu haec turget, & neruos adiacentes premit, ut obtusa inde oritur sensatio, quae grauitatia vulgo dicitur. Causam iniucundae talis sen-

A 3

satio-

sationis tollere studens naturam motum in musculis adiacentibus excitat, ut sanguinis per venam circulus promoveatur. Videmus hinc caussam obtusi illius, qui in oscillatione obseruat, in pectore & ore sensus, ut & motus muscularum tam inspirationi, insertuentium, quam maxillam inferiorem deducentium.

§. 6. Unde etiam dicitur  
SI talis rigitur stagnatio in septi transuersi venis praesens fuerit, similis quoque stagnatio in reliquis muscularis pectus dilatantibus vel simul adesse potest, talia quacunque causa producta, vel per consensum excitatur. Per consensum quomodo excitatur, dispiciamus. Diaphragma venas accipit a vena azygos, ab eadem quoque suas muscularis inspirationem administrantes habent venas; inde fit, ut sanguine minus vegete in diaphragmatis venis procedente, minus quoque vegete in muscularis his mouetur. Quin' nerui dia-

phrag-

phragmatis, qui ab intercostalibus et oœtao pari oriuntur, etiam per consensum neruos ceterorum horum musculos, utpote qui pariter ab intercostalibus et pari vago ortum ducunt, adficiere possunt.

EODEM modo, mutatis mutandis, consensus talis inter muscleos pectus dilatantes & deductores inferioris maxillae deducitur e §. 4. Quod adeoque breuitati studens heic pluribus explicare verbis haud necessarium censeo.

### §. 8.

VIDEMUS hinc, quâ sit, ut talis caussa motus uno eodemque tempore et in diaphragmate, et in reliquis pectus dilatantibus, et in deductoribus maxillae adsit.

### §. 9.

§. 9. ~~hunc~~ ~~disponit~~ ~~enarrat~~  
PRAESTAT itaque, ut puto,  
haecce de praecipua oscitationis causa  
theoria, quod §. 3. necessario requiri  
dixi; ex hac enim causa explicari potest  
obtusus ille in pectore & ore sensus; in  
signis illa inspiratio, ac vehemens maxil-  
iae inferioris a superiori diductio. Ideo  
que hanc theoriam prae ceteris, quas  
novi, veriorem vel saltem probaliorum  
esse existimo.